


AB  
130349



~~00~~ 119  
1000  
Langele 00

119



L 1937



Processus Poeticus novus  
in causa perantiqua,

Præ-Dominium

uxoris concernente,

*feliciter peractus transactus q̄.*

Poetischer newer Proceß

In einer gar alten Sach/

Die Herrschafft des  
Weibes belangende.

Allen Eh- vnd Fried- liebenden zum  
guten Unterrichts vnd Trost/ auffgesucht  
vnd vff begehren heraus  
gegeben

Per CUNR. BAVARUM. P. P.

\*\*\*\*\*

Leipzig/

Ben Johann Francken S. Erben/  
Vnd Samuel Scheuben.

Gedruckt bey GREGORIO Kirsch. An. 1629.

*Nobilitate Generis, Sapiencia &  
virtute Præcellentissimis Viris:*

**Dn. GEORGIO à NISMITZ**  
in Nebra & Birkiche: Capitaneo  
Friburgensi atq; Echardimontano:  
Supr. Curiaë Elect. vice-præsidi me-  
ritis.

**Dn. CHRISTIANO à POLNITZ,**  
ibid. & in Gosigk, Gröbitz, Berns-  
dorff, &c. Ejusd. Supr. Curiaë Elect.  
Assessori dignis.

*Dominis & patronis  
honorandis.*

*Roga-*

Rogatus sum à multis, ut quæ De prædo-  
minio uxoris juveniliter meditata sparsim ha-  
ctenus emissem, ea nunc tandem collecta exhi-  
berem, quod putarent,

Utile misceri jucundo in versibus istis.

Ego quamvis timerem severa iudicia eorum,  
qui sacra contrectari nolunt: parvi tamen ro-  
gantium voluntati, fretus vestra fiducia, à qui-  
bus mea carmina amari atq; æstimari, singulari  
gratiositate contestatum est. Vos audacie hujus  
poeticæ patronos magnos atq; Advocatos consti-  
tuo, exoro: emissa hac columba sociali, tempesta-  
tis exploratrice, quam greges volucrum ( tum  
Oscinum Alaudarum, tum Turdorum altilium,  
tum feralium Corvorum ) paulatim consequen-  
tur,

Si cessent pluviae, fiatq; benignior aura.

Lipsiæ in profesto Martin-anserino  
Anni 1629.

VV. NN. DD.

(devotus Cliens

C. BAVARUS.

A 2

Index

*Index Capitum hujus Processus.*

- 1 Sanctio divina in paradiso.
- 2 Citatio ad iudicium Poeticum.
- 3 Libellus.
- 4 Advocatus uxoris.
- 5 Advocatus Mariti.
- 6 Sententia.
- 7 Suspendio sive Leuteratio.
- 8 Leuterationis Sententia.
- 9 Consiliarius.
- 10 Commissio: primum argumentum pro uxore: *Semen mulieris.*
- 11 Secund. arg. *vir adhaerebit uxori.*
- 12 Tert. arg. *vir nutrit uxorem.*
- 13 Quart. arg. *vir defendit uxorem.*
- 14 Quint. arg. *vir ejicitur ex paradiso.*
- 15 Sext. arg. *circumcisio & tonsio.*
- 16 Sept. arg. *Adam detulit uxori honorem magnum.*
- 17 Octav. arg. *Adam non repudiat uxorem peccantem.*
- 18 Non. arg. *Abraham obedivit Sara.*
- 19 Conclusum in causa.
- 20 Responsio ad argumenta opposita.
- 21 Commissariorum sententia.
- 22 Transactio.
- 23 Speculum uxorium.
- 24 Speculum Maritorum.
- 25 Mandatum Regium.

Dn. CHRI-



I. Dn. CHRISTOPHORO Schulz/  
Et MARIAE Lottherin.

*Peccato poena est grandis sine fine statuta. Genes. 3.*

*Sanctio divina in paradiso:*

*Vir laboret, imperet: Mulier pareat & pariat.*

**S***ic peccata Deus tua,  
Vir, punit, tua sic Foemina: Nempe sic  
Stat sententia, postero-  
rum evitanda ea sententia nemini:*

*Ut panem ipse laboribus  
Vir querat variis, & gravibus suum  
Cernens sentibus optimum*

*Horrere undiq; tectum & lolis, agrum,  
Hinc multas querimonias*

*Et plagas pavido pectore sustinens,  
Dum fiat cinis, ut prius*

*Factus de cinere est, quem subigit Notus.*

*Et dum Foemina parturit,*

*Torquenda est miseris agra doloribus,  
Damnata imperio viri,*

*Cujus jussa tenere omnia debeat.*

*Culpam vir tolerat suam,*

*Quam se promeruisse asserit improbè.*

*Sed sic Fœmina non putat,  
Nempe illa imperii est ambitiosior.  
Hinc Natura negata vult,  
Et, quod non licitum est, belligerat Deo.  
Sis vir, quem Deus esse vult,  
Et sis imperio subdita Fœmina:  
Vobis Regula firma sit,  
Et sententia dia inviolabilis.  
VIR sudorifer imperet:  
Uxor sed pariat, pareat & Viro.  
Sic vos omnipotens Deus  
Complebit variis, absq; modo, bonis.*

2. M. FRIDERICO Leubnitz/ Acad. Notar.  
Et ANNÆ Frischin.

Citatio ad iudicium Poeticum.

**F**Œmine nostram quia dictionem  
Juris implorant vehementer arctæ,  
Nos earum jusq; precesq; tandem  
Respicientes,  
Ad tribunal cunctipatens citamus  
More consueto ingenuos Maritos,  
Nostram ut expectent super hoc petito  
cognitionem.

Fœminarum est ista querela grandis,  
Quod viri captent sibi jus berile

Omne,

Omne, cogant subq; manum usq; molles  
Cedere sexum.

Tale ne quid postea fiat, hinc e-  
dicimus pœnâ impositâ severè:

Nempe vis notoria ea est, molestæ  
parcite culpa.

Est dies indicta, diem tenete,

Jus suum pars qualibet explicite:

Cuilibet jus nempe suum Magistra  
Cura parabit.

Sponse, ne turbare animo, quod ista

Incidat nunc lis subito; implicantur

Huic enim liti veteres noviq; ex

Asse Mariti.

Stare in hoc te iudicio decebit,

Atq; sperare: Exitus omnis est in-

certus, & victoria pollicentem

Ludere suevit.

Non minùs pars luditur altera ipsa:

Cum duo certant, sibi utring; palmam

Asserunt falsò: quia palma tantum

Stat penes unum.

Exitus planè id poterit docere,

Interim mens fluctuat agra: Jus est

Ambidextrum, quod variatur uno

Sæpius ictu.

A A

Rixa

*Rixa non vos terreat ulla, leti  
Carpite interea faciles amores:  
Atq; vestro nunc benedicat alium  
Numen amori.*

3. Dn. JONÆ NEANDRO Not. Publ.  
Et HERTELIAE, viduæ JACOBI  
Königs Not. Publ.

*LIBELLUS.*

*Actor proponit, petit & decidere causam.*

*C*oram judicio inclyto  
Comparet solita cum reverentia  
Actor, jusq; suum cupit  
Explorare; petit jus tribui sibi.  
Mandatum prius exhibet,  
Quod standi faciat nempè potentiam.  
Hinc narrat: violentia  
Quod sit tanta virum, & non tolerabilis.  
Arcto subjugio suas  
Uxores retinent, protinùs imperant,  
Et dictare volunt, iis  
Contrà ut non liceat leniter hiscere.  
Recta aut curva velint, idem est,  
Recta & curva jubent cuncta probarier.  
Annon ista Tyrannis est?  
Aut si quid gravius dicier est pote?

*Quæ*

Quæ tam est improba servitus,  
Aut injuria, quæ culpa nocentior?

Ullo nec potuit modo

Hæc mitescere vis: quæ jubet, ut velit.

Jus proponimus, atq; jus

Rectum suppliciter querimus indigi,  
Servantes solitos modos,

Quis mutare licet, tollere quis licet.

Sponse audistin? ut acriter

Jus quærat sibi nunc Fœmina dicier?

Certandum tibi nempè erit,

Fors audacibus est aqua, & eos juvat.

Ne cor ante pedes labet,

Scis! crudelis ut est pugna recens minis!

Parcentes ego dexteras

Odi: pigra nequit vincere dextera.

At spera benè, forsitan

Conflictus fuerit vester amicior.

Vobis conjugibus precor

Felix Conjugium, & cuncta precor bona.

Dn. FRANCISCO KEST Med. D.

Et MARGARITÆ Preisers.

Advocatus uxoris.

Mulier Mariti Costa, Genes. 3. l. adversus C. de  
crim. expil. hæred. Tyrannus est qui uxorem tradat  
severè cap. i. Extrà. De his quæ vi metusvè causa.

A 5

Tira-

Tiraqu. l. 8. connub. n. 12. *Quin illi conveniens honor & benevolentia præstanda.* Catech. in Exp. pr. 6. Eph. 5. 1. Cor. 7.

**E**va è facta viro est: propterea tuam  
Evam rite colas, & foveas Adam.  
Hac si quid timidè fecerit, aut parùm  
Prudenter; (facilis lapsus ut ejus est)  
Ignosce, & veniam da petulantia:  
Non est ingenii & consilii potens,  
Non magno ad vitium flectitur impetu:  
Qua si non fuerit subdola, pertinax,  
Fallax, seva, procax, turpis & improba,  
Compensare potest semper amoribus  
Erratum omne; Leve ignoscere Conjugi est.  
Est ex Osse viri; Os oderit haud suum  
Quisquam; Cuiq; sua est & Caro amabilis.  
Ut major dolor est Ossis: Ita haud minor  
Ossis cura foret, Conjugis & suæ.  
Cordis Costa comes; munit & ambitum  
Custos, & prohibet seva pericula:  
Non unquam premitur calce pedis tamen,  
Sed cordis fruitur tuta caloribus,  
Et defensa manet semper ab impetu.  
Injustus vir is est, qui pedibus suam  
Uxorem cupiat suppressere, atq; Eam  
Indignam reputet, qua cubet ad latus.

Ut costa

Ut costa est lateris plurima firmitas,  
Et tutela boni pectoris, & decus:  
Sic vita decus est Uxor, & arduo  
Lucens igne focus, commoditas Laris,  
Et solatiolum, & suaviolum viro,  
Et refrigerium, & delitium, & voluptas.  
Ergo sis, veluti diceris, & mane,  
Longum delitium, & suaviolum viri.  
Cunctis digna etenim est Uxor honoribus,  
Qua curat, metuit, diligit & virum.  
Vester sit facilis nexus, & undique  
Felix; sitque torus commodus & ferax.

5. Dn. IOHANNI MARTINO,  
Et URSULÆ Stebers/  
Advocatus Mariti.

ἡ γυνὴ ἀλευρογενής, Genes. 2.

Eva Viri è costa sumpta est, non erure recepta:  
Nec tamen è cerebro est Eva profecta viri.

Lombard. l. 2. dist. 18. Lyra super Genes. cap. 2.

Gloss. in c. ult. 33. q. ult.

**E**Va è facta viro est: propterea virum  
Observet, colat, & maectet honoribus,  
Unius cupide dedita nutui.

Vir quaecumque facit, cogitat, aut parat,

Hec uxor faciat, cogitet, & paret:

Quod laudat vir, id haec laudet & approbet,

Dicat,

Dicat, quod vir ait: quod negat, & neget;  
Quamvis congrua non sint sibi talia,  
Diversumq; putet, cogitet, & velit.  
Semper respiciat primam ad originem,  
Primum nulla viro est edita Fœmina,  
Atq; ex osse viri est, non Cerebro edita;  
Non est de jecore, aut corde, vel è sinu,  
Non de ventre, vel à Renibus, aut genis:  
Sumpta ex Osse viri est: Os sine sanguine est,  
Et sensu: regitur motibus artuum,  
Quos, fulcrum veluti, sustinet, & juvat.  
Ergò uxor sibi nil arroget, Ossea est.  
Nam, quamvis medio Corpore Costa sit,  
Circumducta tamen costa tenet latus,  
Et sese obsequio accommodat undiq;  
Custodis vicem habens; indiga honoris est,  
Quem non ipsa tenet, servitio abdita.  
Uxor, quicquid habet, quicquid & est; Ea id  
Acceptum omne viro grata refert suo:  
Et tu Sponsa quod es, quicquid es, atq; eris,  
Nunc Sponsa, uxor at hinc; Mater & hinc decens,  
Acceptum omne tuo ferre potes viro;  
Cui vel propterea semper adhareas,  
Præstans officium Conjugis intimè.  
Hæc si sensa DEUS contribuat tibi,  
Fructu teq; pio compleat, est satis.

SEN-



*Super lite conjugum, Dominium concernente.*

Ad positiones Advocatorum, Evæ Adricis, ab una, contra Adamum ex altera parte, decernimus; Adamo semper Dominium competere, & Evam subjugari debere: Ita tamen ut Evæ in re familiari tum inspectio tum correctio liberorum ac servilium relinquatur. Ita tamen, ne Maritus in superdominio quomocunq; impediatur, justitia suffragante.

*Candorus ab Usura, Poetici judicii Notar.*

7. M. BALTHASARI MAVIO,  
Et ESTHERÆ TILEMANNÆ,  
D. CHRISTOPH. Friederichs viduæ.

*Leuteratio.*

Ut Viris bellum & negocia forensia conveniunt: Ita uxoribus cura domus & dispensatio rei familiaris relinquenda est. *Hom. Il. 2. Arist. 2. pol. 3. Oecon. 1. cap. 3. Plato in Menone. Hinc Dominae domus vocantur ab ipso Imperatore & Doctores Juris passim. Similiter apud Hom. ad γ. & H. Virg. Aeneid. 6. Ovid. lib. 3. Trist. It. de Arte passim. Rationes hujus appellationis & auctoritates omnium gentium explicat Tiraguel. in L. L. Connub. X. Chassan. super consv. duc. Burg. Item de Gloria mundi. p. 2. cons. 26. & 31.*

*ὁ ἀνὴρ γυναικοκράτης Genes. 3.*

*ἡ δὲ γυνὴ οἴκῃς καὶ οἰκοδεσπότης, Rom.*

*ult. Tit. 2. 1. Tim. 5.*

**E**st jus omne viri, ille est Dominus suæ  
Uxoris, colat illa obsequio virum.

HAC

Hæc sententia quamvis sit idonea,  
Non est æqua tamen fœmineo gregi:  
Omnis Fœmina namq; imperii appetens  
Contra sæpe suum nititur improbè  
Ascenditq; virum, multa sibi arrogans,  
Quæ non conveniunt, quæq; decent minus.  
Non sic Fœmina, non sic agere expedit,  
Parere & parere est officium tuum,  
Et tractare colum; & lucidulum focum  
Curare atq; operas dirigere undiq;  
Vernarum: Domini cetera sunt opus.  
Hoc, si Fœmina fortè Imperium patet,  
Dandum: hoc ingenio convenit illius:  
Nam curare domum, non opus est viri,  
Sed curare domum Fœminæ id est opus,  
Ad nutum tamen atq; arbitrium Viri.  
Non dixisse sed hoc sufficit, Audiunt,  
Et quid se deceat, percipiunt satis:  
Verùm his unde sit immorigeratio,  
Et quæ vis animet robore debiles,  
Haud intelligo, nec tam facilè eloqui est.  
Omnis virgo proba est, blanda, suavis &  
Planè flexibilis corde, manu, pede:  
Quamprimum at fuerit ducta viro: incipit  
Consuetudine mox esse ferocior.  
Tanti est nempe, probam sumere virginem,  
Quæ

*Quæ mores alios tam subito induat,  
Tangens Imperium non sibi debitum.  
Sed cum saepe nihil iusta severitas  
Illis proficiat, corripiat magis:  
Indulgentia plus corrigit & potest.  
Lignum nempe remittendo ita flectitur,  
Quod vis dura solet frangere saepius.  
Quæ palpatur, ea est mitior & fera,  
Mitescit q̄, ferox uxor amoribus.  
Vos jungat faciles obsequio Deus,  
Et vestros animos vinciat ac tegat,  
Sitis letitia participes, Benè est.*

8. *Sententia Leuterationis.*

Ad interpositam Leuterationem Advocatorum, Evæ leuterantis ab una, & Adami, leuterati ex altera parte, decernimus: Quod leuteratione non obstante, prior sententia rectè sustineatur, iustitia suffragante.

9. Dn. VALENTINO HESSO, J.U.D.  
Et DOROTHEÆ Kalenbergin.

*Consiliarius.*

Mulieres habent iudicium & discretionem, L. cum prator ff. de Judic. Sapientiam & consilium, Prov. 14. & 19. 2. Reg. 19. c. viduas 27. q. 1. c. si aliquid 22. q. 4. L. Ita a. §. Papinianus. ff. de admin.

admin. tut. Mulieres iracundæ maximè, Ec-  
cles. 25. Baldus si ap. C. de revoc. donat. Prægnan-  
tes in primis: quib. propterea ignoscenda  
multa, indulgendumq; . 1. Petr. 4. L. assidu  
C. Qui pot. in pignor. L. prænantis. ff. de pœni.  
& ibi Dd.

### Consiliarius.

**I**am satis firmata (uti credo) res est  
Atq; decantata subinde vulgò:

„ Imperet vir, Fœmina sed Marito  
„ Pareat omnis.

Lege divina est ita constitutum,  
Lege & humana pariter notatum:  
Dicitur Natura potens, Honestas  
Suadet id ipsum.

Fœmina ergò desinat esse pugnax  
Aut ferox: sit subdita, sit modesta,  
Et sui observans penitus mariti  
pectore toto.

Audiunt omnes benè, id & fatentur,  
Atq; promittunt trepidante voce;  
Nec tamen præstant: Facile est fateri,  
sed dare durum.

Virginem jures sociam futuram  
Subditam molli imperio mariti:

In do-

Ec-  
an-  
la-  
du-  
ni-  
In domum at si ducta foret, soluta  
pollice zona,  
Cum statu mutat simul ipsa sensum,  
Accipit plerumq; animum feroceum;  
Imperat, culpam, vetat, imprecatur,  
Mordet, & urit.

Forsitan partus facit ægriores,  
Et domus vexat variata cura,  
Ut suæ vix sint memores frequenter  
Conditionis!

Quod si ita est: ( Afflictio magna pectus  
Torquet, & mutat gravitate sensus )  
Fœminæ forsitan decet impotenti ig-  
noscere sæpe.

Ille nimirum Sapiens putatur,  
Qui potest cautam variare mentem,  
Utq; se dant res, ita se applicare ad  
pondera rerum.

Non enim vinci pudor est amantem,  
Casibus cedit Sapiens molestis:  
Nempe, qui vult vincere cuncta, frangit  
Remq; domumq;.

Pertinax vento vehemente quercus  
Frangitur; retrò sinuata florent:  
Et catillus durior est farinæ in-  
commodus omnis.

B

Det

do-

*Det Deus vobis animum benignum  
Atq; placatum: Facilis sequetur  
Pax, & huic conjuncta sequetur ampla  
Copia rerum.*

10. Dn. JOHANNI DRE'VVER,  
Et ANNÆ SCIPIONIS.

*Commissio cum primo argumento.*

*Semen Mulieris, Genes. 3.*

**H***Actenus pugna satis atq; litis  
Inter uxores fuit & Maritos:  
Illa num rectè dominetur isti;  
Iste vel illi!*

*Fus viro certè favet: At timendus  
Astus uxoris; malè pax tenetur  
Hoste sub tecto latitante eodem, &  
Dira minante.*

*Rem Deus clemens benè vortat istam,  
Acta & eventu simul hæc benigno  
Prosperet; Lis ut dirimatur omnis,  
Et metus omnis.*

*Lis in hoc tota est: dominetur ille,  
Et potestatem teneat regendi,  
Dignitas cujus patet, ac videtur  
Amplior esse.*

Vir

Vir prior factus: grave verbum & aptum,  
Quod potentatum stabilit Mariti:

Jussus accedit Domini, uxor esto  
Subdita planè.

Lex aperta est, & ratio æqua; totis  
Viribus servanda: quis hircere ausit  
Aut velit contra? manifesta res est

Exq; pedita.

Fœmina at contrà vehementer infit:

Nobiles sese faciunt viri ortu:

Nobilis de nobilitate prodit

Haud aliundè.

Fœminas à nobilitate recta

Improbè excludunt: rapiunt honores,

Atq; certis servitiis tenenda

Prædia cuncta:

Factitant patres & Avos superbe,

Atq; se involvunt meritis eorum:

Nosq; detrudunt Generis pares &

Sanguinis hujus.

Audiat totus sileatq; mundus:

Fœminâ natus Deus est: Origo

Nos sumus, cujus veniunt ab una o-

rigine cuncta.

Dignitas hæc æstimio profectò

Major est omni. Sapite, & priores

B 2

Nes

Vir



Nos viri tandem reputate ; Spontè  
Cedite regnum.

Gratiæ vos participes sinemus  
Hujus esse, at nos finite esse nostras.  
Æqua res : uxor parili fruatur

Cum Mare jure.

Controversum tangere jure jus, est  
Nempe sopitum refricare vulnus :  
Colliget vestros animos benigna  
Gratia coelo.

II. Dn. JACOB OBLUMELIO, J. U. L.  
Et ANNÆ Meyers.

Secundum Argumentum.

Vir adhærebit uxori suæ, Gen. 2.

**N**on fuit perfecta hominis creati  
Vita ; Et ejus conditio beata  
Absq<sup>ue</sup> dulci conjugio, absq<sup>ue</sup> fida  
Conjuge planè.

Dic, Adamo quid noviter virenti  
Defuit ? stant cuncta parata plenam  
Ad potestatem : Dominum fatetur  
Omnipotentem,

Quicquid in terris habitat vigetq<sup>ue</sup>,  
Æquoris vasti soboles proterva,

Quic



Quicquid & pennis liquidum explicatis  
Æthera findit:

Nil deest rerum: Sapiencia, una  
Quæ potest vitam miseram beare,  
Stat caput supra, similemque Divis  
Efficit esse.

Una Coniunx deficit: una coniunx  
Res potest omnes superare longè:  
Nempe jucunda est sine nulla nobis  
Coniuge vita.

L. Ergo rerum Fœmina summa rectè  
Dicitur: Quamvis habeas abunde,  
Nil salutare est, nihil absque & una  
Coniuge gratum.

Illa si desit tibi, cuncta desunt,  
Copia est defectus, inops opum vis,  
Dulce mel, non dulce: amor est amaror,  
Cuncta molesta.

Charius nil est patre, matre nil est  
Charius: præfert Deus bis amorem  
Coniugis, cui semper adhaereat vir  
Quilibet arctè.

Ut Lyæus firmiter ulmo adhaerens  
Latior surgit superas in auras:  
Sic vir uxori benè colligatus  
Firmior extat.

*Sæva tempestas tonet imbre grandi,  
Sive paupertas mala vexet agros,  
Aut domum impellat febrium cohors, &  
Corpora rodant:*

*Adjuvat, solatia magna præbens,  
Uxor, & rebus faciles in arctis  
Suscipit partes, timidum maritum  
Subleuat ultrò.*

*Quis piam ergò pectore, voce, cantu,  
Conjugem non laudet, amet, colatq;?  
Illa pars vitæ melior Mariti, &  
Causa salutis.*

*Sponsa tu Sponso bona multa præsta,  
Atq; eitu Sponse tenax adhære:  
Sic pios fors lata animos venustè  
Exhilarabit.*

13. DN. MICHAELI THOMÆ  
J. U. D.

Et ANNÆ Schulkin.

*Tertium Argumentum.*

*Vir nutrit uxorem, Genes. 3.*

**F***oeminam nutrire vir ipse debet,  
Atq; præbere illi alimenta largè:  
Hoc opus servile videtur esse,  
Atq; probrosum.*

*Rusti-*

Rusticus campos arat, atq; fruges  
Comparat sudorifero labore:  
Pascitur Rex, & fruitur labore  
Luxuriosus.

Cura Quæstoris propria est, diurnis  
Seq; nocturnis variare curis;  
Ut sui census Domini nitenti  
Augeat ære.

Ergo ita est mandata viro ista cura,  
Improbos sudare rigare campos,  
Et feros mores, veprium feraces,  
Arte domare.

Panis est quarendus ei labore,  
Nempe panis multiplicata cura est:  
Quaritur per saxa Ceres, per ignes,  
Per vada Nerei.

Interim deses Laribus beatis  
Uxor inter ludere tuta pergit  
Pupulas, quis oscula blanda figit  
Panis abundans.

Vir suos extrà queritur labores,  
Uritur nunc sole, madescit imbre,  
Nunc nives sentit, graditurq; per pe-  
ricula Ponti.

Qui scelus quondam gravius patrasset,  
Durior pœna hunc meritò insecuta est:

Tanti erat, Divis vetitum severè  
Mandere pomum.

Noscimus culpam miseri & fatemur  
Turpe factum, quod luimus pudenter:  
Non decet culpam meritamq; pœnam  
Dissimulare.

Quisq; quod fert ex merito periculum  
Corde sedato ferat & modestè:  
Laude virtus digna, sed ultione  
Improbis ausus.

Noxius factus moderatiorem  
Se gerat, nec luxuriet Maritus:  
Leniter gestet sibi dedicatum  
Imperium omne.

Lene jucundum Imperium, molestum  
Omne durum: Leniter imperanti  
Sponte paretur: Torus esto multa  
Frugè beatus.

13. Dn. MAGNO KRAGEN J. U. D.  
Et ANNÆ MARGARITÆ Rengels/

*Quartum Argumentum.*

Pro stabiliendo prædominio Mulieris.

Vir defendit uxorem, Genes. 14. & 32.

**P**ergimus nunc dicere nostrum honorem  
Fœminæ, & contra miseros Maritos:

*Glori-*

Gloriam quam quisq<sub>3</sub> tenet, modeste  
Dicere fas est.

Fœminas ornat decoratq<sub>3</sub> multum  
Grata devotis animis quies, se-  
cura pax, pax optima, & omnium nu-  
tricula rerum.

Excitatur bellicus hinc & illinc  
Clamor, auditur sonitus tubarum,  
Et nitent enses cupide volentes

Sanguine tingi:  
Prodit exsultim media inter arma  
Vir ferox ense, horridus & bipenni,  
Ut paret victis teneatq<sub>3</sub> pacem

Hostibus almam.  
Rectè agit: vis excutienda planè,  
Vis enim accendit subito furorem,  
Nec recedit, ni rubeat madenti

Sanguine tellus.  
Milites quantum capiunt laboris;  
Milites quantum capiunt doloris;  
Dum famem incauti patiuntur, atq<sub>3</sub> in-  
commoda mille?

Quicquid autem præstiterit Maritus;  
Sive aret, seu naviget, atq<sub>3</sub> pugnet,  
Omne id uxoris sobolisq<sub>3</sub> præstat  
Commoditati.

Propter uxorem lepidam Maritus  
Non timet devotus adire mortem:  
Fortis & non dura pati recusat  
Propter amorem.

Blanda gens, uxor, sobolesq<sup>3</sup>, tuta  
Soliis stat prasidio Mariti:

His paratur certa salus domi per  
Cuncta pericla.

Conjugis si tactus honor vacillet,  
Vindicem fortem metuas Maritum:

Conjuges tangit simul una noxa,  
Unaq<sup>3</sup> clades.

Tantum amor binos valet inter, arctè

Colligat mentes vehemente vinclo:

Subjugat fortes, juga dura collo im-  
ponit agenda.

Quisquis uxorem suam amat decenter,

Imperat blandè atq<sup>3</sup> benignè Eidem:

Blanda fors blandos sequitur Maritos

Et bona multa.

Atq<sup>3</sup> vos ut talia consequantur

Commoda ex voto proprioq<sup>3</sup> sensu,

In parentum gaudia sera, toto

Corde precamur.

Dn. GE.

14. Dn. GEORGIO MOCHINGER  
Med. D.

Et ELISABETHÆ Gdrigin.

*Quintum Argumentum.*

Vir ejicitur ex Paradiso, Genes. 3.

**C**Rederem, discrimina nunc patere  
Conjugum cunctis: meliore quantò  
Præ viro uxor liberior fruatur

*Conditioe.*

Nempe fas, ut pœna nocentio rem  
Grandior per justitiam sequatur:  
Tetrior em ostendit adesse noxam

*Supplicium atrox.*

Pellitur vir cum violenter Ense,  
Ense candentem referente flammam,  
Qui voluptatis fuit omnis hortus,

*De paradiso:*

Scilicet magnum scelus æstimatur  
Inde, cujus vir tolerare pœnam  
Debeat: namq; omne nefas mariti est,

*Libera Coniunx.*

Exprobratur nempe scelus Marito,  
Maximus peccator is est; jubetur  
Egredi, camposq; labore multo

*Sollicitare.*

*Fœmi-*

Fœminæ culpa est minor: hinc tacetur,  
Nil ei exprobratur: amore magno  
Victa damnatum sequitur Maritum,  
Prodiga sortis.

Sexui est ignoscere sequiori  
Fas, minorq; atas veniam meretur:  
Major est sublimi in bonore culpa,  
Pœnaq; major.

Dignior tantò fuerit Marito  
Uxor: hæc non cogitur exulare:  
Spontè cedit, commiseratione  
Ducta Mariti.

Ergò quæ pœna est meritò irrogata,  
Portet æquo pectore vir, laborem,  
Atq; curas sustineat molestas  
Tempore vitæ.

Atq; quam sortem sibi legit uxor  
Spontè, rectè perferat; æstimetq;  
Nemo vi infelix: Tua fors subindè  
Fingitur abs te.

Digna conjunx qualibet est favore,  
Nempe quæ sortem propriam relinquat,  
Atq; se sorti variæ Mariti ac-  
commodet ultrò.

Sit satis: Quando Imperio repugnat  
Arduo, parère nec est necesse:

Mutua.



*Mutua sortis memores sodales*

*Vivite longum.*

15. Dn. JOHAN. Fritsch / J. U. D.

Et MARGARITÆ Schillings.

*Sextum Argumentum.*

*Circumcisio & tonsio, Genes. 17.*

**I***am satis certatum, uti credo, largè,*

*Ulterius major reputetur esse*

*Dignitas, Regnum ut tribuatur uni*

*Convenienter.*

*Visa Conjux nobilior marito,*

*Atq; eò vicinior esse regno:*

*Quò magis clarè tamen id patefcatur,*

*Dicere pergam:*

*Jussus est Abram resecare carnem,*

*Numen hinc promittit ei favorem:*

*Rursus insectis minitatur atra*

*Damna relictis.*

*Ede causam, qui sapis, hujus actus:*

*Quid veneni corpus habet virile,*

*Quidve probrosi; prohibens polorum*

*Regna subire?*

*Tale nil in corpore fœminino,*

*Sectionis quod capiat medelam;*

*Cujus intermissio sit salutis*

*Dira noverca.*

*Tale*

*tua.*

Tale nil hic est reperire noxa,  
Nil opus cultro atq; putatione:  
Utilis tota est caro, tota munda,  
Tota salubris.

Sive juxta aras veniat precatum,  
Sive spectatum veniat choreas,  
Tonsa non est, nulla resecta pars in  
Corpore toto.

Aureis contra illa comis superbit;  
Sunt decus magnum potiùs capilli  
Fœminis: Sed non ibi tonsionis  
Meta modusq;.

In viro signum est venerationis,  
Si caput nudet, teneatq; mitram:  
Fœminis mitra inviolata constat  
Absq; pudore.

Fœmina est à Lege soluta tali,  
Plena libertas favet his alumnis:  
Unde tantum illis veniat favoris,  
Dispice censor.

Forma digna esse imperio putatur:  
Liberum dignum imperio putabo  
Omne: Libertas favet his, Regentes  
Inde putabo.

Quicquid hujus sit: Colitote pacem,  
Copulavit quos pius ardor ambos:

Sic

*Sic Diis grati fueritis & mor-  
talibus ipsis.*

16. Dn. JONÆ MOESTELIO J. U. D.  
Scabinatus Electoral. Assessori.

Et MARGARITÆ Leuschnerin.

*Septimum Argumentum.*

Adam detulit Uxori magnum honorem,  
appellans Matrem omnium viventium.

Genes. 3.

**D**igna Conjunx est Veneratione:  
*Vultis Exemplum? patet hoc vel inde,  
Quod suam EVAM primus homo estimavit  
Semper honestè.*

*Illam quamvis causa mali fuisset,  
Prima dum malum tetigit, neciq;  
Januam pandit, genus & malorum  
Omne vocavit:*

*Non tamen bili ille vacavit atra,  
Abstinet prava calidaq; rixa,  
Nec DEUM accusat sceleris nefandè  
Esse patronum.*

*Devovet se, irascitur & sibi ipsi:  
Conjugem qui debuit impotentem  
Continere, actus ruit ad nocentes  
Impete cæco.*

Sic

*Mitior*

Mitior culpa vehemente factus  
A DEO culpa veniam precatur:  
Conjugi nil imputat hujus, ipse ob-  
noxius unus.

Omniū Matrem ille vocavit EVAM:  
Plena honoris nomenclatio ista est,  
Plena constantis venerationis,  
Plena favoris.

Non sibi tantum tribuit favoris,  
Noluit dici Pater omniū ipse:  
Conjugi totum tribuit benignè  
Nomen honoris.

Tetrius sentit novus orbus iste:  
Nobilem nasci Patre confitentur,  
Nobilem nasci generosiore  
Matre negantes.

Parcius Patrum generationem  
Tollite; & Matrum decorate nomen:  
Fœmina præstant meritis, honore,  
Laudeq; præstant.

Cuncta qua si commemorare vellem,  
Charta, lux, vox deficeret loquentem:  
Nempe sunt hæc in veterum notata  
Omnia libris.

Fœminas virtute sua minores  
Ne putes: Regnum tenuere & ipsa,

Et sago

Et sago clara, sapientiaq;  
Laude celebres.

SPONSA M habeto cum veneratione

SPONSE: sic fies venerandus illi:

Par parem affectus venerationem

Conciliabit.

Gaudium hinc existet AVIS utring;

Quando MATER SPONSA, PATERq; fies

SPONSE: ut id fiat precibus rogamus

Omnipotentem.

17. SEBASTIAN Schmidt/  
Et CONCORDIÆ Seidels.

Octavum Argumentum.

Adam non repudiat mulierem peccantem,

Genes. 3.

Sic te Fœmina turpiter

Decepit miserum prime hominum sator,

Sic lascivia ab arbore

Avulsit vetita poma nitentia,

Et gustanda tibi manu

Audaci nimium prœbuit & ferâ.

Malum suave, potens malum,

Eheu quanta paris damna, cruces, neces?

Nil mortalibus amplius

Salvum atq; incolume est, destruis omnia.

C

Ista

sago



Ista incommoda tanta sunt,  
Quae siccis oculis nemo recenseat.  
Excusas facinus tuum  
Incautus, sed enim proficis hic nihil.  
Dicta est poena, sed addita est  
Insperata tamen Gratia perditis.  
Tanti foemina causa erat  
Nempè infanda mali: Foemina sed tamen  
Est promissa, bona omnia  
Hinc quae restituat semine proprio.  
Nequaquam odit & abscidit  
Mitis degenerem Vir sibi foeminam:  
Culpam omnem potius sibi  
Prudens attribuit, respiciens Deum,  
Qui unam cum mare foeminam  
Conjuxit socio foedere perpetim.  
Tu si incauta facit malè  
Uxor, (nempè tuo dedita nutui  
Cum non semper erit) magis  
Ignoscenda foret non abigenda enim.  
Sic deceptus Adam tulit  
Uxorem facili mente benignior.  
Sint vobis etiam precor  
Concordes animi & mitia pectora:  
Lapsantem toleret virum  
Hac, atq; hic etiam milla undiq; sufferat.

Sic

*Sic vestrum fodiet torum*

*Lis nulla, exilio tradita lis vago.*

*Felix conjugium illud est,*

*Quod non litigio concutitur malo.*

18. Dn. BENJAMIN Schüb J. U. D.  
Et ELISABETHA Kerstens.

*Nonum Argumentum.*

Post longam disputationem de Dominio mulieris stabiliendo, Exemplis res probabiliter confirmatur.

Abraham obedivit Saræ, Genes. 16.

Omnia quæ dixerit tibi Sara, effice, Gen. 21.

**I**ndicatum sat rationis esto,

**I**conjugem quod liberius tenendam

Afferat, solam Imperioq; dignam

Deputet ultrò.

Mira res absurdaq; sed videtur

Forsan, effectumq; malum tenere:

Ne puta: res non nova, Fœminam esse

Imperiosam.

Mitto Scriptura Dominas potentes,

Mitto Reginas: simul atq; mitto

Quas habent multa Historia Gubernas

Omnia mitto.

Unum habe exemplum: Satis evidens est,

Abraham Saræ fuit audiens: Quid?

C 2

Quod

Sic

Quod Deus cælo resonante voce

Detonat alto:

Ne velis dictum Sarai improbare,

Cuncta quæ dixit Sarai, effice ultrò:

Nempe quid factò sit opus peritè

Judicat ipsa.

Quid magis dici potuisset: audi,

Vox Dei est, parere virum jubentis

Conjugi: Quid majus habere posses

Quod sequerere?

Sive Romanus velit Imperator,

Sive Rex quivis dare jussa contrà;

Prævalet semper Deitas, fatiscunt

Cæsaris ora.

Hoc vel uno res dubitata constat

Tam satis: nil pluribus est necesse:

Conjugis dicto fuit obsecutus

Nonne Pilatus?

Fœmina victus prece Cananæ

Christus indulsit repetita cuncta:

Atq; constringi patitur, volenti

Se quoq; tradit.

Quis vel hoc factum aut reprehendat illud?

Quis vel exemplis rationibusq;

Hisce commotus monitusq; nolit

Cedere sponte?

Fœmina



*Fœmina est laudabilis undiquaq̃,  
Magna consultrix, bona & Imperatrix:  
Cur suo se subjiciat marito*

*Mancipii instar?*

*Chara res Conjux & amore digna est:  
Hanc amet, desideret, ornet, optet  
Sponsus: & verè poterit beatam  
Ducere vitam.*

19. Dn. JOAN. CHRISTOPHORO Braun  
J. U. D.

Et DOROTHEÆ SOPHIÆ Möstels.

*Conclusio in causa de prædominio Mulieris,  
coram Commissariis diu multumq̃ disceptato.*

*Congeries laudum uxoriarum, ex ma-  
nifestis S. Scripturæ testimoniis.*

UXOR, Ornamentum domus, Psal. 68. firmamentum  
honoris, Prov. 11. corona viri 12. Summa bonorum 18. do-  
num Dei 19. preciosissima Margarita, laudabilis 21. precio-  
sior auro, Syr. 7. virum beatus; gaudium viri; nobile donum,  
qua nihil carius: nihil preciosius: decus domus suæ. Sol  
domus. 26 gaudium viri, consilium, auxilium, solatium,  
firmamentum 37. Memoria viri sempiterna 41. gloria viri,  
I. Cor. 11. corpus viri, caro viri, Ephes. 5.

*Queritur non propria fama nobis:  
Quod tamen Scriptura docet, negare,  
Id foret magna impietatis atq̃  
Futilitatis.*

C 3

Uxor

nima

Uxor (ut psalmus canit) uxor (audi)  
Est domus magnum decus atq; splendor:  
Ipsa suavis, cerua velut suavis,  
Tempore Eoo.

Hec viro servat retinetq; honorem,  
Ejus & spectabilis est corona:  
Qui capit talem, capit ille summam  
Nempe bonorum.

A Deo prudens venit uxor, illam  
Disitis non est reperire in oris:  
Vincit & gemmas, Pariumq; marmor  
Una nitore.

Auro ea est prestantior, atq; magno  
Ære, quo res precipue parantur:  
Ipsa dat vitæ spacia ampliora, &  
Gaudia præbet.

Dona præclarissima vincit ipsa,  
Quam capit devotus amator; estq;  
Gaudii semper bona procreatrix,  
Excidium ira,  
Est Dei donum, magis estimandum  
Quàm potentes divitiæ estimantur:  
Clarus est Sol, clarior ipsa Sole est,  
Lucidiorq;.

Ipsa honestum parturiens Marito  
Illius nomen super astra tollit:

De

De viri carne est caro, Et os cadens ab  
Ossibus ejus.

Quid magis dicam? pia Sponsa Christi,  
Proprio quam sanguine mundat, atq;  
Suscipit; mysterio in hoc notatur  
Tàm speciosè.

Sponsus hanc Sponsam ut potiretur, ipse  
Angelis formosior ex olympo  
Venit, Et carnis capiens figuram  
Se induit illa.

Debilem firmat, fragilemq; sanat,  
Inq; servi schemate acerba multa  
Sustinet, probra, atq; crucem, necemq;  
Pertulit ultro.

Sponsa præclaro decoranda honore  
Sponsi, Et ingenti retinenda amore est:  
Sponse amas, fies pariter vel inde a-  
mabilis ipse.

Est amor cælo Superùm profectus,  
Atq; servatur Superùm favore:  
Ambo proluxa generatione  
Este beati.

Atq; sic Brunonia fama crescat  
Consulari hac insitione largè:  
Fulciatur Pesna nepote, longo  
Floreat ævo.

Responsio ad argumenta  
opposita.

**A**uditae sunt haec singula, singula  
Non sunt quidem vulgaria: tanta sunt,  
Quae ponderis multum videntur  
Ipsa tenere, potentiaq;  
Largimur isthaec omnia, nec decet  
Nos diffiteri, quae manifesta sunt:  
Et largiemur plura dictis,  
Eximia bonitate nostra.  
Sed non licet sic luxuriarier,  
Conclusio non plus teneat: bona  
Laus foemina est, sed propter illam  
Velle sibi imperium arrogare;  
Id nulla concedit Dialectica,  
Nec juris exacti ratio finit:  
Quod foeminas clarescere inquit,  
Imperium negat has habere.  
Civile jus quod si faveat tamen  
Vobis, vel ipsa & jura Canonica:  
His sanctio divina praestat  
Attamen, & vetat arte ferri.  
Accedit & praescriptio, quae valet  
Plus jure toto: Sunt vigilantibus  
Conscripta jura, horum tuetur  
Vim labor & studium potenter.

Est,

Est, ut bonum jus quis foveat, sed hoc  
Expirat una desipientia:

Si vis tuum jus sustinere,  
Sis vigilans, adhibeque curam.

Jus tempus & custodit & adjuvat;  
Possessio, si sit diuturnior,

Planè amovet quid vis petentem,  
Nec patitur sua ferre jura.

Præscriptioni incumbimus arduè,

Præscriptio est exceptio maxima:

Possessio jus firmat, & vos  
Strenuiter jubet os tenere.

Possessioni vos etiam date

Sponsi locum: Possessio vos juvet,

Possessio vos firmet, & pos-  
sessio vos beet undiquaque.

21. Dn. GOTFRIDO Groß/  
Et MARGARITÆ Meyers.

Sententia Commissariorum  
ex Interdicto.

ULTI POSSIDETIS.

Auscultavimus hætenus,  
Rectis judiciis pendimus omnia;

Uxorum bona jura sunt,

Et sententia eis propterea favet.

Est,

C 5

Debe-

Debetur, patet, his honor:  
Non ille imperio subjici idonea:  
Hoc prudentia, dignitas,  
Et partus gravitas, & prohibet status.  
Vir multum arripuit sibi,  
Uxorem imperio supposuit gravi.  
Cum plena ille licentia  
Nutu jura sibi fingit atrociam.  
Uxorem taciturnita-  
ti involvi cupit, ut desinat & loqui.  
Non sic, non voluit DEUS  
Constringi valido vimine Fœminam,  
Quando conjugat hanc viro,  
Adjungens lateri conveniens latus.  
Indultum at nimis est viro,  
Et pol difficile est jus revocari:  
Ni forsàn valeat dolo:  
Sapè & frangere jus calliditas potest.  
Et quis propterea dolum  
Culpare, aut etiam comprimere audeat?  
Est parere grave, & grave est  
Non audere vel ad perniciem hiscere.  
Quamvis hoc reputabitur  
Non æquum: tamen est non variabile.  
Jus salvum ergò manet viro,  
Quod vel fraus peperit, vel violentia.

[Contrà

Contra non licet ire nos,  
Est Possessio, quae sustinet omnia.  
Multum in principio situm,  
Haud mutare licet, quod male creverit.  
Quis retraxerit arbiter  
Curram, quando tenaci luto inbaserit?  
Firmet vos Patientia,  
Quando ex hoc Labyrintho effugere haud  
Nos jus possumus haud dare, (licet.  
Sed de jure dato possumus eloqui.  
Spes hic credula demitur  
Uxori Imperii, Subdita permanet.  
Et cur imperium appetat?  
Non dira tamen est pressa Tyrannide.  
Conjux aequa potest virum  
Mollire, & placidum reddere, ut est ovis.  
Vobis contribuat DEUS  
Large pacis, ut & cetera munera:  
Et per vos patrium genus  
Ducat perpetuo flore propagines.

22. DN. CHRISTOPHORO Pincker/  
J. U. D.  
Et GERTRUDI Graefin vid. Wolfmars.

Transactio ex Edicto: Quod quisq; Juris  
in alterum statuerit.

Aequis

tra



*Æquitatis ratio habenda in omnibus rebus ma-  
gis, quàm stricti juris, L. placuit, C.  
de Judic.*

**P**lignatum satis acriter,  
Jure, atq; arbitrio: non sine divite  
Sumptu, haud absq; molestia.

Nos illusio nunc conficit & dolor.  
Consultorum ea pravitas,

Querunt ex aliis commoda qui sua.  
Illi festa agitant nova,

Nos curis gravibus rodimur undiq;  
Multò rectius actum erat,

Placare ore pio cœlicolam Deum:  
Pacem quam dederit Deus,

Non vis ulla potest solvere Demonis,  
Nulla in jure beatitas:

Multùm sollicitos jus animos facit,  
Ditat Causidicos malos,

Iustorum loculos & bona dissipat.  
Facta infecta quis æstimet?

Aut quæ perditæ sunt, quis reparaverit?  
Jus non convenit huic malo:

Plus profecerit hîc sanctior Æquitas.  
Æquum bella fugat, necem a-  
vertit, pacificis dividit oscula.

*Quæris,*



Quæris, quo fieri modo

Pax æterna queat? sic agere expedit:

UNO Mense tuum esto, vir,

Totum hoc imperium, Subdita simq; ego.

Mensis qui sequitur, mibi

Post te conveniens Imperium addicet.

Hinc quis mutua munera

Culpet? Mutua gratissima munera.

Juris Regula nota eu est,

Quod tecum fieri vis, fac & alteri.

Est æquissima Regula,

Bellum non faciunt, quæ paritas dabit.

Quod si vir benè rexerit

Uxorem, pariter se putet & regi.

Nos vitæq; necisq; habet

Et sortis varia sæva necessitas:

Cur in tanta pericula

Nos ultrò miserè præcipitabimus?

Concordes animos juvat

Æquè cuncta pati, & mutuiter pati.

Vir consentit, & approbat

Omni ex parte sua Consilium hoc Hera.

Lis nunc finem habet atq; pax

Secura ante fores excubias agit:

Vestro Conjugio exulet

Lis, Pax ante fores excubias agat.

23. Dn.

23. Dn. LEONHARDO Rosen/  
Prætori Urbano Lipsiensi.

Et MARIÆ Beckers.

Speculum Uxorium.

**S**emper Mariti est nomen amabile,  
Sui dignitatis perpetua nota:

Plena est viri semper potestas,  
Nei minuenda viri potestas.

Præbet Maritus commoda Conjugi

Nunquam sua non plurima protinus:

Nomen, forum, jus, dignitatem,  
Atq; patrocinium, atq; tectum.

Ut Forma complet materiam suam,

Illam figurat, sustinet, ac fovet:

Qua desinente, ultrò soluta  
Diffluit, & patitur ruinam:

Sic Conjugem vir sustinet, ac fovet,

Extollit, auget, sublevat, expedit.

Ut Luna Solis luce splendet:

Fœmina sic viri honore fulget.

Dux Fœminæ est vir, Rex, Dominus, Pater:

